



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1842

V. Die Markgrafen Albrecht und Otto schenken dem Bisthume und Kapitel in Havelberg Besitzungen in der Kirche, zu Aland und Berge, die Zehnthhebung in Wittenmohr und Burgstall und die Zollfreiheit in ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54306)

V. Die Markgrafen Albrecht und Otto schenken dem Bisthume und Kapitel in Havelberg Besitzungen in der Wische, zu Aland und Berge, die Zehnthebung in Wittenmoor und Burgstall und die Zollfreiheit in der Mark u., im Jahre 1151.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Ego Adelbertus et filius meus Otto, gracia dei et Imperii marchiones, intendere uolumus quantum possumus ad restauracionem havelbergenfis episcopatus, quem magnus Otto imperator primo fundauit, sed pagani usque ad tempora nostra fere totum destruxerunt. Ea propter notum esse uolumus omnibus fidelibus tam futuris quam presentibus, quod nos anshelmo, uenerabili havelbergenfi episcopo, dimittimus atque resignamus quicquid antecessores nostri Marchiones sibi iniuste ac uolenter de episcopatu suo abstulerunt, ut iuxta tenorem priuilegiorum suorum libere utatur ad honorem dei et sancte Marie genetricis dei. Si quid eciam Juris nos ibi uidebamur quoquomodo posse habere, hoc totum deo et sancte Marie pro spe remuneracionis eterne offerimus atque remittimus. Et ut canonici, nuper in eadem ecclesia ab episcopo ordinati et deo iugiter famulantes, nostri memoriam semper habeant in oracionibus suis, ad sustentacionem eorum et ad augmentum prebendarum, damus eis quatuor mansos in prato, quod uulgo uocatur wisch, iuxta ripam fluminis albis, ut cum omni libertate possideant et in usus fratrum redigant et nulli aliquid inde respondeant. Damus preterea in usus episcopi tres mansos in predio, quod alant dicitur. De rebus etiam ipsius episcopi uel canonicorum per totam Marchiam et potestatem nostram siue in aqua siue in terra, nullum theloneum detur uel accipiatur, quum decet et omnino dignum est, ut qui se ex toto deo denouerunt et pro conuersione paganorum se periculo exposuerunt, nulli seculari exactioni subiaceant, sed ab omnibus opem et auxilium inueniant, quatinus diuinum obsequium nouiter ibidem inchoatum amodo non deficiat, sed ad honorem sancte dei genetricis Marie et ad promotionem christianitatis et conuersionis gentilitatis de die in diem propensius crescat et proficiat ecclesia havelbergenfis. Damus item eidem ecclesie in predicto prato wisch, in monte sancti Nicolai ecclesiam cum omnibus appendiciis suis, cum decimacione vna cum supradictorum mansorum, quos nunc habent uel quos adhuc habere potuerint, decimacione, et hoc consensu uenerabilium episcoporum haluerstadenfis ecclesie primo Rudolphi, deinde Odelrici, a quibus nos easdem decimas in beneficio habebamus, quas eciam ipsi episcopi a nobis sibi resignatas, vna cum decimacione duarum uillarum Withemore et Burstelle, prefate havelbergenfi ecclesie propriis manibus obtulerunt et priuilegiis suis confirmauerunt. Quicquid eciam aliquis scilicet de possessione terrarum seu facultatum eidem uel alicui ecclesie in eodem episcopatu donare uoluerit, nos auctoritate piissimi regis Conradi, id ipsum concedentis, ratum habebimus. Scimus enim iam dictam ecclesiam sic esse priuilegiatam, quod quecumque persona magna uel parua, terras uel possessiones uel aliquam alicuius rei oblationem dare uel uendere uoluerit, liberam hec faciendi per se habeat potestatem et ecclesia liberam suscipiendi et possidendi per se habeat facultatem. Actum Magdeburgh anno dominice Incarnacionis M. C. LI.

Nach dem Havelberger Copialbuche fol. 25. Ungenauer Abdruck bei Buchholz a. a. D. S. 419.